Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31300
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Dumq; ei cultum dare singularem
Cogitat. pulchris Areten capillis
Forte prospexit spaciosa solam
Ire per arua
Namq; flammantis meditans Olympi
Lumen ⁊ cursus Arete volantes.
Nomen aptabat numerumq; claris
Addidit astris
Jam maris fluxum tumidosq; fluctus
Norat ⁊ quare trembunda tellus
Fluctuet. quare iaculetur aer
Nubilus ignes.
Norat ⁊ linguas hominumq; mores
Et quibus falli solet ⁊ refelli.
Ueritas tecto male nota vultu
Norat elenchos
Fecerat nostre documenta vite
Et quibus celi peteremus arcem
Sortis humane miserata casum
Fecerat artes
Hanc Deus menti comitem ducemq;
Fecit. vt casus patienter omnes
Ferret. ⁊ nullo scelerum tumultu.
Deiceretur.
Ipsa nos duros vocat in labores.
Nec dies nobis sinit ociosos.
Hoc ait nostros petijsse celum
Calle parentes

¶ Hermanni Buschij Monasteriēsis Oda Lyrica. de Uirtute

Ipse cum solus varios retracto
Exitus vite studiumq; nostre.
Dispar. ⁊ curas sibi dissidentes
Lassaq; vota.
Rideo partos hominum triūphos
Regium nomen. nitidamq; rubi.
Littoris concham. tyrioq; pictas
Murice vestes
Rideo quicquid legit Astur auri
Fertiles campos lybie Sabei
Pulueris fumos. Solymiq; munus
Balsama regni